


**DE**  
**CURIALIBUS IMPERII ROMANI**

**POST**  
**CONSTANTINUM M.**

**SCRIPSIT**  
**SAM. THEOPH. RÜDIGER.**

**PH. D. GYMNASII MAGDALENÆI PROFESSOR.**



## DE CURIALIBUS IMPERII ROMANI POST CONSTANTINUM M.

In expositione causarum, quae Imperii Romani interitum attulerunt, non infimum locum obtinere debet administratio civitatum provincialium atque inprimis conditio Curialium, sive eorum hominum, qui medio inter *Honoratos*<sup>1)</sup>, seu potentiores, et plebem ordine constituti erant; quae quum Constantino M. imperante haud parum mutata sit, pluraque deinceps ex hujus, quam e superiorum principum tempore de Curialibus memoriae sint prodita, operae pretium visum est, de horum conditione inde a Constantini M. temporibus pauca disserere, ut appareat, quam male actum sit cum iis, quos Imperatores non ignorabant *nervos esse ac viscera reipublicae*<sup>2)</sup>.

Curiales dicebantur a Curia, quae erat in omnibus provinciarum urbibus, oppidis, metrocomiis et vicis publicis<sup>3)</sup> Senatus instar, Romano quidem illi et Constan-

1) *Honorati*, ubi de provincialium ordinibus agitur, semper primo loco nominantur; his proximi Curiales, quos ultimi sequuntur plebeji. Honorati autem dicebantur non tantum quicumque honores et dignitates civiles et militares gesserant provinciamque aliquam revera administraverant, verum etiam qui *honorarios codicillos* seu vanos honorum et dignitatum titulos *per suffragia*, hoc est gratia et pecunia sibi paraverant. Cf. Vales. ad Amm. Marc. XIV, 5, 3. et Jac. Gothofred. ad l. un. C. Th. de Officio Jud. civ.

2) Cf. Novell. D. Majoriani Tit. I. de Curialibus in Tom. VI. C. Th. ed. Ritteri, App. p. 144. Unde sua habet Cassiodorus Var. IX. 2. Non enim incassum vobis Curiam concessit Antiquitas, non inaniter appellavit Minorem Senatum, nervos quoque vocitans ac viscera civitatum. Quid in ista appellatione non habetis vel potentiae vel honoris? Nam qui Senatui comparatur, a nullo genio claritatis excluditur.

3) *Metrocomia* caput erat vicorum publicorum ad urbem aliquam pertinentium, sicuti metropolis caput omnium provinciae alicujus civitatum. *Vici* autem *publici* erant, qui non unum sed multos possessores habebant atque urbis alicujus ditioni subjecti erant.

tinopolitano dignitate et auctoritate longe inferior, nonnunquam tamen honoris causa *minor Senatus* appellata. In Curiam autem, qui tanquam Senatores poterant convocari, *Curiales*<sup>1)</sup> erant.

Curiales nascebantur<sup>2)</sup>, ita ut quicumque patre, avo Curiali nati essent, Curiae vinculis tenerentur. Atque ad Honorii usque tempora in Curialibus eligendis et ordinandis paternae tantum originis ratio habita est, neque is cujus mater Decurionis filia, non etiam pater, licet ingenuus, Decurionis filius esset, Curiae albo ob hanc causam adscribi potuit. Solis Antiochenis<sup>3)</sup> Curialibus, veterum quorundam principum beneficio, hoc privilegium erat, ut matre Curiali natos ad Curiam vocarent. Quamquam apud hos quoque patris origo potior erat, ita ut si pater non Antiochenae, sed alii Curiae obnoxius esset, filius non matris, sed patris Curiam sequeretur. Quod jus et Valentinianus I.<sup>4)</sup> servavit in Occidente, ubi filii patribus et matribus, sed diversarum urbium, Curialibus nati, paternae Curiae se subtrahentes ad maternam transire conabantur, si haec minor esset minoraque fortunarum dispendia postularet. Sed Curialibus per haec tempora ex iis causis, quas infra videbimus, magis atque magis ubique rarescentibus, quum Imperatores multa, quamquam et imprudenter et infeliciter, tentarent, quibus Curialium numerum auferent civitatumque necessitatibus subvenirent, Honorius<sup>5)</sup> tandem non solos patribus Curialibus natos, sed omnino omnes, qui Curiali stirpe gignerentur, Curiarum nexibus obligari voluit, aequum censens, ingenua matre natos, majorum suorum dignitatibus, licet invitos sociari. Cui edicto neque Sen. Cons. Claudianum obstare passus est, filiosque matre Curiali, patre servo natos ad Curiam vocari permisit. Tanta jam illo tempore Curialium penuria fuit. Pari

<sup>1)</sup> Idem et *Decuriones* vocantur, eorumque coetus *Ordo* appellatur. Olim *domi nobiles*. Cf. Prudent. *περὶ στεφάνων*. Hymn. X. 123.

<sup>2)</sup> Cf. praeter alias, l. 89, 113, 118, 122, 123, 147. C. Th. de Decurionib.

<sup>3)</sup> L. 51. C. Th. de Decur. L. 62. C. Just. de Decur. Eodem jure videntur usi esse Curiales Ilienses, Delphici et Pontici. L. 1. D. ad municipalem. Sed contradicit Jac. Gothofr. ad d. l. C. Th. Zosim. III. 11, 10. Libanii Orat. *πρὸς τὴν βουλὴν*. p. 533. 5. Tom. II. ed. Reiske.

<sup>4)</sup> L. 101. C. Th. de Decur.

<sup>5)</sup> L. 178, 179. C. Th. de Decur.

sollicitudine Theodosius quoque Junior<sup>1)</sup> Curiarum commodo consultum ivit: edixit enim, ut si quis, seu Curialis, seu liber, non legitimos, sed naturales tantum filios haberet, eosque heredes scribere vellet, id ei hac conditione liceret, ut eos Curiae civitatis, unde ipse oriundus esset, solenni in Curialium coetu declaratione facta, traderet, quarta tantum hereditatis parte iis servata, quibus de inofficioso testamento actio suppeteret, qui si nulli superstites essent, tota hereditas filiis naturalibus Curiae destinatis obveniret.

Verum jam multo ante Constantini M. tempora, deficientibus hinc inde per Orientem Curialibus idoneis, non soli Curiali loco nati ad Curialia munera obeunda adducebantur, sed etiam plebeji. Cum enim munera illa ejusmodi essent, quae fortunarum saltem aliquantulum desiderarent, multique e veterum Curialium numero *exactionibus* et *municipalibus functionibus* ad egestatem redacti essent, ceterorum autem incolarum nullis antea muneribus adstrictorum aliqui censum suum auxissent, hi quoque ad Curialium Ordinem eveherentur necesse fuerat. Itaque mos invaluerat Curias rarescentes e plebejis meritis et facultatibus, hoc est agro vel pecunia idoneis, supplendi, qui mos aliquot Principum edictis firmatus est<sup>2)</sup>.

Non indigenae tantum urbium incolae ad Curias vocari poterant, sed etiam advenae, *incolatus* jure, si larem seu domicilium intra municipii moenia collocassent. Neque eorum nominationi obstabat alius urbis *Decurionatus*; nisi antequam *convenirentur*, incolatui renunciassent: sin minus, duarum civitatum Decurionatus onera sustinere cogebantur, *in una voluntatis, in altera originis gratia*<sup>3)</sup>. Ita legibus cautum erat, ut ne urbium majorum Curiae, majores sumtus postulantes, a Curialibus ad minores urbes transeuntibus desererentur. Ergo Curiales quasi glebae adscripti fuere, solumque impune mutare iis non licuit<sup>4)</sup>. Durum sine dubio illud erat, sed durius etiam hoc, quod post multas priorum Principum ejusdem sententiae leges edixit Arcadius: *Curiales omnes jubemus interminatione moneri, ne civitates fugiant, aut*

<sup>1)</sup> Novell. D. Theodosii. Tit. IV. 1. App. p. 34.

<sup>2)</sup> L. 5, 13, 33, 53, 72, 96, 133, 140. C. Th. de Decur. Libanii Or. *ὕπερθε Θαλασσίον*. p. 399. et sq. T. II. ed. Reiske.

<sup>3)</sup> L. 12, 52, 141. C. Th. de Decur. Amm. Marc. XXII. 9, 12.

<sup>4)</sup> L. 1. D. de Decur.

*deserant, rus habitandi causa: fundum quem civitati praetulerint scientes fisco esse sociandum, eoque rure esse carituros, cujus causa impios se, vitando patriam, demonstrarint*<sup>1)</sup>. Denique qui peregrinantes a Curia natali ultra quinquennium aberant, eorum facultates Curiae addicebantur<sup>2)</sup>.

Postremo res eo perducta est, ut cuncti fundorum ad urbis alicujus territorium pertinentium possessores ac prae ceteris ii, qui fundos Curialium quocunque modo acquisitos possiderent, licet ipsi alibi habitarent Curiae ejus functionibus adstringerentur<sup>3)</sup>: item veteranorum et militarium filii militiam detrectantes vel armis non idonei<sup>4)</sup>, denique omnis generis homines antea Curialibus longe inferiores habiti, modo non sine peculio essent<sup>5)</sup>.

Judaei quoque inde a Constantini M. temporibus ad Curias vocari et ad munera suscipienda cogi poterant, exceptis in singulis urbibus, ut *aliquid Judaeis ad solatium pristinae observationis relinqueretur*, binis tantum vel ternis, Archisynagogis, Patriarchis, Presbyteris, quibus solis immunitas concessa erat<sup>6)</sup>.

Quae vero non solum vulgi sed etiam potentiorum de Curialium conditione existimatio fuerit, ex eo colligi potest, quod ante Valentiniani Sen. tempora Curiam Ordinibus nonnunquam poenae loco a Judicibus seu Rectoribus provinciarum aggregarentur, quicumque antea altiore loco constituti graviter in *Officio* suo peccassent. Valentinianus igitur, cui *Splendor* Curiarum vel maxime cordi erat, cum intelligeret, illud incrementi genus non solum illegitimum esse, verum etiam Curiarum existimationi perniciosissimum, quippe quo homines ob culpam, ob quam eximi deberent ex Ordine, in Curias, tanquam in pistrina detruderentur, in posterum quemquam poenae loco in Curiam mitti vetuit<sup>7)</sup>.

Rite fiebant nominationes et ad Decurionatum et ad Curialia munera ab ipso Ordine *Tractatu* publico, hoc est, publico Curialium in Curiam convocatorum con-

<sup>1)</sup> L. 1, 2. C. Th. si Curialis rel. civit. rus habitare maluerit.

<sup>2)</sup> L. 143, 144. C. Th. de Dec.

<sup>3)</sup> L. 124, 134. C. Th. de Decur.

<sup>4)</sup> L. 15, 32, 35, 78, 83, 89. C. Th. de Decur.

<sup>5)</sup> L. 137, 179. C. Th. de Decur. L. 8. C. Th. de Cohortalibus.

<sup>6)</sup> L. 99, 157, 158, 165. C. Th. de Dec. L. 3, 4. C. Th. de Judaeis. Nov. Just. XLV. Praef.

<sup>7)</sup> L. 66. C. Th. de Dec. Idem edixit Theodos. M. L. 108. ej. tit.

silio et decreto. Verum hic legitimus rerum ordo a commotis ira et studio Judicibus seu Rectoribus Provinciarum, quorum permagna in Curias erat potestas, haud raro perturbatus est. Hos enim saepe libellis seu edictis suis imperiose, qui eligi deberent ad munera vel ad Decurionatum, praescripsisse, tam e supra dictis intelligitur, quam e Rescripto Honorii, qui ejusmodi nominationes absque solennitate et contra veterem consuetudinem factas irritas esse voluit<sup>1)</sup>.

Qui Curiales nominabantur, censum trecentorum solidorum vel ultra viginti quinque agri jugera debebant possidere; sed nominari poterant et qui minorem jugerum numerum privato dominio possidebant, si totidem agri jugera vel minorem modum e Re Privata Principis colerent<sup>2)</sup>.

Decurionum et veteranorum filii Curiis adscribi legitime poterant annum aetatis octavum decimum ingressi<sup>3)</sup>; sed praevalente Judicium lubricitate vel pueri octo, septem atque adeo quatuor<sup>4)</sup> annorum ad Curiarum consortia devocati sunt, si quam patres excusationem haberent. Neque in legitima duodeviginti annorum aetate patrum in filios potestatis ratio habita, cum voluntates patrum praejudicare non deberent utilitatibus Civitatum<sup>5)</sup>. Sero demum, imminente passim Curiarum interitu, justa viginti quinque annorum aetas Curialium delectui restituta est, sed ne sic quidem locupletes aetate minores securi fuerunt<sup>6)</sup>.

Quemadmodum supra vidimus, Curialium personas quasi glebae adscriptas fuisse, ita et bona eorum Curiae obstricta fuere. Neque praedia seu rustica seu urbana, neque mancipia vendere poterant, nisi antea Rectori Provinciae seu Judici alienandi necessitatem demonstrassent, ejusque Decreto distrahendae possessionis facultatem accepissent. Qua forma neglecta irrita erat venditio, emtorque et pretium amittebat

<sup>1)</sup> L. 53. C. Th. de Appellationibus.

<sup>2)</sup> L. 33. C. Th. de Decur. Nov. D. Valentiniani III. inter Nov. D. Theodosii jun. Tit. XLI. de successione Curialium 1. App. p. 92.

<sup>3)</sup> L. 7, 19, 58. C. Th. de Decur.

<sup>4)</sup> Cf. Jac. Gothofr. Comm. ad L. 7. C. Th. de Dec. Alia exempla habet Orellius in Coll. Inscr. lat. 3746—3749, sed felicioris aevi, quo Decurionatus honorem boni cives avide petebant.

<sup>5)</sup> L. 7. C. Th. de Decur.

<sup>6)</sup> L. 11. D. de Decur. L. 3. §. 10. et L. 8. D. de muneribus.

et possessionem venditori restituere cogebatur<sup>1)</sup>. Curialium ab intestato sine heredibus mortuorum facultates Curiae adjudicabantur<sup>2)</sup>. Quodsi quem a Decurionum consortio alienum Curialis in testamento sive ex asse sive ex parte haeredem scripsisset, is haeres quarta successionis parte Curiae cedere coactus erat. Denique aliis legibus provisum erat, ut in Decurionum bona aut filii generive Curiales, aut ex parte saltem Curia succederet<sup>3)</sup>.

Permulta et gravissima onera sustinenda erant iis, qui ex quacunque causa ad Decurionatus honorem evecti Curiaeque Albo adscripti erant. Curialia munia duplicis erant generis, aut *personalia* aut *patrimonialia*<sup>4)</sup>: illa *corporis labore et animi sollicitudine sustinebantur* sine sumtu, in patrimonialibus autem sumtus maxime postulabatur. Sed parum sibi constitit ea differentia, quum in aliis urbibus munera quaedam mere personalia essent, quae in aliis non sine sumtu gererentur. Itaque quoties de immunitate personalium munerum quaesitum est, iudicium fieri e Curiae suis cujusque legibus et more majorum debuit. Fuere inter patrimonialia quoque munera, quae simul personalia essent; tamen patrimonialia vocata sunt, quia hoc munerum genus honoratius erat. Quaedam ex patrimonialibus muneribus non munera, sed *honores* vocabantur, velut Duumviratus, de quo infra dicendum erit, nec satis liquet, quid inter *munera* et *honores* interfuerit. Tantum ex universa civilium munerum illius aevi ratione probabiliter colligi potest, *Honores* proprie dictos fuisse, ad quos Curiae consensu eligi non sufficeret, nisi Ordinis decretum, *Principis iudicio* et auctoritate

<sup>1)</sup> L. 1, 2. C. Th. de praediis et mancipiis Curialium sine Decreto non alienandis. — Hoc quanti fuerit, optime cognoscitur e Novella Valentiniani III., qua ipse temperamenti necessitate sero perspecta pristinam alienationis formam mutandam censuit. Nov. D. Valentin. X. App. p. 122: Si quis Curiali venditori aliqua laboranti necessitate subvenit, cum modo ab exactore fiscalium functionum, modo a creditoribus urgeretur et sine cautela vendidit, quam premente injuria quaerere non vacabat, ne diutius suspendiis, squalore custodiae, sportulae concussionem, usuris in majorem cumulum crescentibus, vexaretur, cur non maneat venditio, quae praestitit obnoxium a dispendiis et suppliciis liberari. Alii destituta et inculta propterea vendiderunt, quia jejuni cespitis onerosam professionem non poterant sustinere. Iniquum est, tam justis praecedentibus causis confectae venditioni ob hoc solum, quia Decreti interpositio defuit, adimi firmitatem etc.

<sup>2)</sup> L. un. C. Th. de bonis decurionum.

<sup>3)</sup> L. 1, 2, 3. C. Just. Quando et quibus quarta pars debetur ex bon. dec.

<sup>4)</sup> L. 1 et 18. D. de munerib.



firmaretur. Verum nostra parum refert personalium et patrimonialium munerum et honorum subtile discrimen, siquidem personalia quoque munera nobis certe quodammodo et patrimonialia videri debent: Curiales enim e nullius muneris administratione legitimi aliquid emolumenti capiebant, viresque suas, otium et curas civitatis commodis gratis impendebant coacti et inviti.

Electiones ad munera et honores fiebant quotannis cal. Martiis<sup>1)</sup>, habito *Tractatu* publico. Ad munera mere personalia Curiales ex *Albi* ordine, ad patrimonialia autem facultatibus potiores vocari solebant. Judicum erat *providere, ut munera et honores in civitatibus aequaliter per vices et secundum aetates et dignitates, legitime injungerentur, ne sine discrimine et frequenter iisdem oppressis simul viris et viribus respublica destitueretur*<sup>2)</sup>. Qua potestate Judices improbi, ira vel cupiditate ducti, nimis saepe ad Curialium perniciem usi sunt, hunc vel illum *functionibus* jam exhaustum ad suscipienda munera sumtuosa adduci jubentes<sup>3)</sup>. Iis, qui ad munera electi fuerant duorum mensium spatium ad appellationem interponendam lege concessum erat<sup>4)</sup>. Verum in appellationibus quoque miseri Curiales a Judicum lubricitate pendebant. Vacationes munerum solus Princeps tribuere poterat<sup>5)</sup>: itaque ad ipsum Principem provocare debebant, qui onus aliquod municipale sibi injuste delatum querebantur. Hi ab ipso Judice *Relationis* exemplum petere, eoque accepto intra certos dies *Refutatorium* libellum seu preces offerre, Judex autem *Relationis* exemplum una cum precibus refutatoriis et si qua alia *gesta* essent, ad *Comitatum*<sup>6)</sup> mittere debebat. Potuit igitur Judex iniquus appellationem non *recipere*; si recepisset, relationem non exhibere; si exhibuisset, preces refutatorias cum relatione non ad Principem perferendas curare. Hinc manifestum fit, quantum Curiales in omni provocationum genere Judicum superbiae obnoxii fuerint. Hi enim seu cupiditate ducti, seu retractari, quod ratum esse vellent, tanquam injuriam graviter ferentes, Edictorumque Principalium

1) L. 28. C. Th. de Decur.

2) L. 8. §. 15. D. de muneribus et hon.

3) Poterant Judices iniquitatem suam legum praesidio defendere: L. 14. §. 8. D. de munerib.

4) L. 10, 19. C. Th. de Appellationibus.

5) L. 1, 135. C. Th. de Decur.

6) *Comitatus* est, ubi sunt Rerum Domini.

minas, quo longius ipsi a Comitatu aberant, eo tutius contemnentis, aut Curialium appellationes *respuere* solebant, aut *appellatoribus formidinem Judicariae suae potestatis objicere*, aut Relationem per fraudes et mendacia differre vel suppressere, aut ad vim apertam progredientes, injuriis et contumeliis appellatores afficere, a militibus custodiri jubere, in carcerem conjicere, tormentis cruciare<sup>1)</sup>. Quae Judicium Verrina immanitas quorsum evaserit, infra videbimus; nam alia ejus exempla memoranda erunt: nunc autem Decurionum munera persequemur, inprimis patrimonialia, quae nosse plurimum interest, atque in universum ex utriusque generis muneribus ea tantum enumerabimus, quae in plerisque imperii Romani civitatibus, excepta utraque Roma, eadem fuere, ne perspicuitati narrationis officiat multiplex et obscura Curialium institutorum diversitas.

Patrimonialia munera *Principalibus*<sup>2)</sup> plerumque deferebantur. Hi primum in Curia locum obtinebant, atque in *Principalitatis* honorem ii tantum ascendere poterant, qui gradatim et per ordinem muneribus cunctis inferioribus perfuncti erant<sup>3)</sup>. Eligebantur Principales consensu Curiae e Curialibus probatissimi et facultatibus idoneis instructi. Non idem Principalium in omnibus civitatibus numerus erat; in aliis quinque, in aliis decem, in aliis viginti, pro municipii cujusque opibus, legibus et vetere consuetudine<sup>4)</sup>.

<sup>1)</sup> L. 2. C. Th. de Appellationib: Minime fas est, ut in civili negotio libellis appellatoriis oblati, aut carceris cruciatus, aut cujuslibet injuriae genus, seu tormenta, vel etiam contumelias perferat appellator. — L. 4. ib. Officii cura est, ut omnes omnino appellationes, quaecumque fuerint interpositae, solenniter curet accipere: nec in recipiendis libellis aliquod genus injuriae inferendum cupiam existimet. — L. 31. ib. Quoniam plerique Rectores, Relationes, quas ad Nostrae Tranquillitatis Comitatum destinare promittunt, suppressere vel differre conantur, prava id conscientia faciente etc. — Et quia plerumque contingit, ut gerulis litterarum, aliquo casu existente, tarditatis obstaculum videatur afferri etc. — Add. L. 9, 11, 15, 16, 20, 22, 25, 29, 30, 32, 33, 51, 58, 59, 60, 67. ej. tit.

<sup>2)</sup> Iidem vocantur et *Primates, Primarii, Summates, Optimates*.

<sup>3)</sup> L. 5, 75, 77. C. Th. de Decur.

<sup>4)</sup> Inde *Quinque Primates, Decemprimi, Decaproti, Icosaproti*. Inter eos in quibusdam urbibus *primus* aliquis, alibi *patronus* vel *πρωτοστάτης* appellatus, Curiae gubernacula regere dicebatur et reliquos omnes dignitate antecellebat. L. 61, 189, 190. C. Th. de Dec. L. 2. ib. de Quaestionibus. L. 46. ib. de cursu publ. Tit. C. Th. de Protostasia. L. 171. C. Th. de Dec: Placuit Principales viros e Curia in Galliis non ante discedere, quam quindecimum in Ordinis sui administratione compleverint etc. L. 8. C. Just. de munerib. patrimon

Ex omnibus muneribus a Principalibus administrari solitis longe gravissima erant *Adscriptio* et *Exactio Canonis*<sup>1)</sup>. Possessores enim, itaque Curiales omnes, quotannis non aurum tantum vel argentum praestare coacti erant, sed etiam *Species*, hoc est *fructus aridos*, velut frumentum, hordeum et similia, et, pro coeli et soli diversitate, vinum, oleum, liquamen, laridum, ligna, velut *materiam, tabulata* et carbones, foenum et paleam, praeterea tirones aut eorum loco *aurum tironicum*<sup>2)</sup>, vestes militares, ferrum, aes, equos aliaque *animalia militaria*, quae omnia tributa ordinaria, quotannis redeuntia, *Canonis* nomine appellabantur. Praeterea ii, qui mercaturam faciebant mercibus non ex ipsorum praediis provenientibus vel suis ipsorum manibus confectis, sed peregre coemptis *lustrali collationi*<sup>3)</sup>, quinto quoque anno redeunti, obnoxii erant. Accessere ad haec omnia *Superindictiones* seu tributa extraordinaria bellorum causa satis frequenter indicta. Atque tributorum ordinariorum seu Canonis quotannis Imperatores mittebant *Indictiones* seu *Delegationes*<sup>4)</sup> ad Praefectos Praetorio, qui distributione inter provincias facta, earum Judicibus indictiones mittebant *particulares*, quae per certum tempus, duobus vel quatuor mensibus, antequam *Collatio* fieri deberet, in locis celeberrimis proponebantur. Iudices rem ad Principales deferebant, quorum erat una cum *Censualibus Adscriptionem* facere, seu describere secundum libros censuales et ex ea, quam ipsi, tanquam in civitatis specula positi<sup>5)</sup>, prae ceteris habere existimabantur, fortunarum ejusque possessoris notitia, quantum quisque auri et specierum inferre deberet. Hujus Adscriptionis exemplum Judici, summo exactionis praesidi, offerebant, qui *manu propria* adscriptionem *designabat*<sup>6)</sup>, seu nominis sui auctoritate firmabat. Denique a *Tabulariis Breves* debitorum secundum illas Adscriptiones confecti Exactoribus tradebantur. Hi erant in solenni Curiae concilio, omnium consensu<sup>7)</sup>, alicubi et populo admissio, e Principalium numero electi, exactionisque

1) Cf. Jac. Gothofr. Paratitlon ad tit. C. Th. de annona et tributis.

2) L. 1, 7. C. Th. de Tironib. Cf. Jac. Gothofr. Paratitlon ad tit. C. Th. de Re Militari.

3) Cf. Jac. Gothofr. Paratitlon ad tit. C. Th. de lustrali Collatione. Libanii Or. *κατὰ Φλογοειρίων*. T. II. p. 477. 5. ed. Reiske. Zosim. L. II. c. 58. 3. ed. Reitem.

4) Cf. Jac. Gothofr. Paratitlon ad tit. C. Th. de Indictionibus.

5) L. 3. C. Th. de honorar. Godicillis.

6) L. 3. C. Th. de annona et trib.

7) L. 20. C. Th. de Susceptorib.

munus annuum erat, nisi aut consuetudo civitatis aut raritas Ordinis eos per biennium esse compelleret<sup>1)</sup>. Quod saepe fieri debuit, quum Curiae Curialibus ad egestatem redactis, patrimonio cedentibus, fuga denique salutem petentibus in dies rarescerent, soli tamen locupletiores exactores creati possent. Exigebant enim, quod rei caput est, suo periculo<sup>2)</sup>, ita ut si quid ad legitimum tributorum modum deesset, aliis remediis frustra tentatis postremo ipsi damnum resarcire de suis bonis cogerentur. Ob hanc causam Curialibus ad Exactiones nominatis duorum mensium spatium ad appellandum concessum erat<sup>3)</sup>, nominationesque tribus quatuorve mensibus ante novae exactionis initium fiebant, cal. Martiis, ut si excusatio eorum justa videretur, alii interea exactores creati possent. Sed quam parum praesidii Curialibus in his provocationibus fuerit, jam supra vidimus. Quamquam frequentissimus appellacionibus locus fuit, quum exactionis munus ejusmodi esset, quo fortunae Curialium vel maxime attererentur, praesertim repetito. Urgebat exactorem inexorabilis immodici Canonis implendi necessitas, quotannis fere superindictionibus aucti, *Collatores* autem permulti aut solvendo revera impares aut, ut vexati fere solent, contumaces refragabantur. Huc accessit aliud omnibus provinciis commune malum: rustici enim, vel coloni atque etiam vici integri *fraudandorum tributorum causa*, ad potentiorum<sup>4)</sup>, quos exigere Curialium non esset, quosque Curiales, tametsi liceret, tamen militaris cinguli metu exigere non auderent, patrocinia confugiebant, velut Proconsulum, Vicariorum, Magistrorum peditum equitumque, Ducum, Comitum, Tribunorum<sup>5)</sup>: certe Principum edicta satis demonstrant, magistratus illius aevi, paucissimis exceptis, civiles et militares majores minoresque omnes a Praefectis inde Praetorio usque ad infimos horreorum Subscribendarios pro sua quemque potestate dignos Verre magistro fuisse discipulos. Hi igitur ingenti pacta mercede vicinorum solebant clientelam suscipere, fundis eorum suos affigere titulos, Exactores, si forte accederent, injuriis contumeliisque

<sup>1)</sup> L. 22. C. Th. de Susceptorib.

<sup>2)</sup> L. un. C. Th. de privilegiis Domus Augustae. Liban. Or. *κατα Τιταμενοῦ* p. 259, 1. et sq. id. *περὶ τῶν προστασιῶν* p. 505. 7. T. II. ed. Reiske.

<sup>3)</sup> L. 8. C. Th. de Dec.

<sup>4)</sup> L. 12. C. Th. de Exactorib.

<sup>5)</sup> L. 4. C. Th. de patrociniis vicorum.

male habitos dimittere<sup>1)</sup> sicque *aditum implendae devotionis occludere*<sup>2)</sup>. Ita nullam fere exactionem sine *nomimbus defectis et reliquis* celebratam esse credere licet. Tunc igitur Exactores ipsi, quae deessent, explere de suo cogebantur, ut aurum *canonicum* statuto tempore ad Comites Sacrarum Largitionum, species ad horrea publica perferrentur. Haud raro etiam, Exactione parum procedente, ipsis instabant Judicibus a Praefectis Praetorio aliisque magistratibus superioribus tam civilibus quam militaribus immissi Palatini, Apparitores, Opinatores, Compulsores<sup>3)</sup>, aliique severitatis ministri, quos Judices, ut sese ab eorum importunitate liberarent, ipsis adeo Exactoribus propter rerum suarum periculum adnitentibus, militibus stipatos in Curiales debitores immittebant, in quos illi, non minus avari quam reliqui Officiales omnes, immani saepe crudelitate saevierunt. Neque minus saevitum est in Exactores, damno resarciendo impares, nullumque iis fuit ab Imperatorum edictis saepius de eadem re, sed frustra, promulgatis auxilium. Praescripta quidem erat pignorum capio, si debitor fiscalis solvendo non esset, qua facta nisi intra certum tempus debita soluta essent, pignora sub hasta venderentur, iisdemque edictis Judicibus contumeliarum et tormentorum in debitores usu interdicitur<sup>4)</sup>: tamen certum est, eos pro sua avaritia atque superbia nullo legum metu prohibitos esse<sup>5)</sup>, quominus in ipsos adeo Principales ac multo magis etiam in ceteros Curiales promiscue tam ob tributa debita, quam ob quascunque causas *Plumbatis*<sup>6)</sup>, carcere, tormentis atrociter, sed *Plumbatis* longe frequentius

<sup>1)</sup> Liban. Or. *περὶ τῶν προστάσεων* p. 504. et sq. T. II. ed. Reiske. Salvianus de Gubernat. Dei. V. c. 8: Tradunt se ad tuendum protegendumque majoribus, dedititios se divitum faciunt etc.

<sup>2)</sup> L. 1. C. Th. de patroc. vic. *Devotio* est tributorum solutio.

<sup>3)</sup> L. 15, 16, 17. C. Th. de Exactorib. Nov. Valentiniani III. inter N. D. Theodos. Jun. XLV. App. p. 96.

<sup>4)</sup> L. 3, 7. C. Th. de Exactionibus.

<sup>5)</sup> Liban. Or. *περὶ τῶν δεσποτῶν*. p. 461, 18. T. II. ed. Reiske.

<sup>6)</sup> *Plumbatae*, flagelli genus, e pluribus loris constans, quibus extremis globuli plumbei innexi erant; mutato nomine nostris etiam temporibus apud Anglos superstes *feles novem caudarum*. Cf. Brisson. de Significat. Verborum s. v. et L. 2. C. Th. de Quaestionib. L. 39, 47, 61, 80, 85, 117, 126, 128. C. Th. de Decur. Liban. Or. *κατὰ τῶν εἰσιόντων*. p. 78. id. *πρὸς Ἐδστάθιον περὶ τῶν τιμῶν*. p. 152 et sq. p. 160. *κατὰ Λουκιανοῦ*. p. 218, 13. T. III. *πρὸς Ἰακώριον*. p. 106 et sq. ib. p. 116, 10 et sq. p. 122, 15. *κατὰ Ἰακώριον*. p. 135, 13

saevirent. Nempe suspicari licet e quibusdam Edictis, ad praedia Curialium sub hasta vendenda haud facile emtores accessisse, vilique pretio vendita, emtores autem veritos

et sq. p. 139, 2. p. 141, 5 et sq. κατὰ Τισαμενοῦ. p. 240, 26. p. 251, 8. p. 258 et sq. περὶ τῶν δεσμοτῶν. p. 440, 8 et sq. κατὰ Φλωρεντίου. p. 466, 16 et sq. T. II. ὑπὲρ Ἀριστοφάνους. p. 429, 10 et sq. Tetra sunt quae in his Libanii locis memorantur: sed operae pretium est, unum hic apponere, quod instar omnium esse possit, plagiosissimi Judicis exemplum, Severi, Consularis Syriae, quod idem Libanius habet in Or. κατὰ Σεβήρου. p. 232. T. III: ἐκέλευσε θαρσύνειν τοὺς δεδεμένους, καὶ πάντα τάληθῃ πρὸς αὐτὸν περὶ πάντων λέγειν. Μάλχον δὲ μετὰ τοὺς ἄλλους λόγους καὶ ὡς φανείται τὸ χυσιόν. ταῦτα τῆς μὲν ἐπιούσης ὁ ἄρχων ἐφύλαξε, ἐν δὲ τῇ μετ' ἐκείνην ἐκίνησε. καὶ τοὺς μὲν ἄλλους ὅπως μεταχειριεῖται, θεὸς οἶδε. τὰ δὲ δὴ Μάλχου, τοῖς ἀποθανεῖν αὐτῷ βέλτιον ἦν, καὶ γενέσθαι τῷ Πολυφύμφῳ δειπνον, ἢ παθεῖν, ἢ πέπονθε, μενούσης ἡμῖν τῆς πολιτείας καὶ οὐ μεταπεσοῦσης. ἃ γὰρ οὐδ' ἀγοραίων ποσάκων ἐνέγκαι τις ἂν ἀδικησέη, ταῦτα ὁ ἄρχων, ταῦτα ὁ ζώνην, ὁ θρόνον, ὁδμάζειν παρὰ τοῦ κρατοῦντος λαβῶν, ταῦτα ὁ στρατιώταις ἐπιτάξας, ταῦτα ὁ βασιλεὺς ἐπέστειλε πολλάκις. (Erat igitur Malchus ex Honoratis, qui pariter atque Decuriones, nisi majestatis rei, per leges ab omnibus injuriis corporalibus tuti erant) οὐ γὰρ ἔτι κρύψαι τὸ μῖσος οἷός τε γενόμενος οὐδ' ἀντισχεῖν τῷ μεγέθει πᾶν ὅσον εἶχεν ἐν τῇ καρδίᾳ κείμενον ἐξέχευε, μικρὸν ἀπέχων μακρίας. καὶ γυμνούσθω τῆς γλαυδός. καὶ ἦν ἐκείνη χαμαὶ. καὶ τοῦ πρώτου χιτῶνος. καὶ ἦν ὁ χιτῶν χαμαὶ. καὶ τοῦ τρίτου, τοῦ λινοῦ. καὶ ἦν καὶ οὗτος μετ' ἐκείνων. δεινὰ μὲν οὖν καὶ ταῦτα, καὶ ἦν οὐδεὶς, ὃς οὐκ ἐπέπληκτο, στήσεσθαι δ' αὐτὸν ἐνταῦθα τῶν πολλῶν οἰομένων, μετέωρος μὲν ὁ Μάλχος ταῖς ἐσομέναις πληγαῖς ὑποκείμενος, ῥάβδων δ' ἐπὶ γῆς ἐωρῶντο φάκιλλοι. τῶν δὲ αἰεὶ ταῖς πληγαῖς τριβομένων ἀπόρριπτομένων, ἑτέρων ἀκριφῶν ἔδει. ταῦτόν δὲ ἦν καὶ περὶ τοὺς τύποντας, τὸν ἀπειρόντα ἀδμήτος ἐνδεχομένου, καὶ δέκατος ὁ τελευταῖος ἦν. τούτων δὲ ἕξ μὲν εἰς τὰ νῶτα τὴν ἰσχὺν ἀνήλωσαν. αἱ πλευραὶ δὲ τέτταρας εἰς αὐτὰς ἐκένωσαν, τούτων τοῦτο κελύσαντος, ἀντὶ τοῦ νότου γενέσθαι τὰς πλευρὰς τοῖς τὰς ῥάβδους ἔχουσι. καὶ πολὺ μὲν τὸ ῥέον αἷμα, πολλὰ δὲ αἱ διασπειρόμεναι σάρκες ὑπὸ τῶν πληγῶν ἐκτεμνόμεναι τοῦ σώματος. Μάλχος δὲ μέχρι μὲν μέσων αὐτῶν ἔβρα, τὸ δ' ἐντεῦθεν ἄφαντος ἐτύπτετο, τὸ καὶ δύνασθαι βοῆσαι τοῖς κριοῖς ἀφαιρεθεῖς. τίνα ἂν τις δίκην ἑτέραν ἐπὶ τούτοις προσέθηκεν; ἀφείλου τὴν δέλτον, καθ' ἣν ἤρξεν. ἐγύμνωσας, οὐ τῶν μὲν, τῶν δ' οὐ, πάντων δὲ ἱματίων. πληγῆς δὲ οὐδ' ἂν ἀριθμήσαι τις. ἄφες δὴ τοῖς ἰατροῖς, καὶ τοῖς οἰκείοις τὰς τοῦ σώματος χαράδρας, ἦν πως πείσῃσι τὰ διεστηκότα συνελθεῖν. ὁ δ' ἑπ' ἄλλο προῦβη πολὺ τῷ πάσχοντι τε ἀλγεινότερον καὶ τοῖς ὀρθῶσι ἐλκενότερον. παρέδωκε τοῖς διὰ τῆς πολέως ἄξουσι τὸ καλὸν ἐκείνο θέαμα, τὰ ἐν τῷ σώματι βέβη. καὶ οὐδεὶς ἦν, ὃς οὐκ ὤμωξέ γε καὶ τὸ πρόσωπον ἐπληξεν, καὶ τοὺς λυθέντας νόμους ἐθρήνησεν. εἶχον δὲ τίνα ὕβριν καὶ αἰ ἀναξυριδες, ὧν ὅσον ὑπὲρ τοὺς μηροὺς, ἐξελήλεγχο τοῖς ῥάβδοις καὶ τοῦργον ἀπολωλέκει, σκέπειν οὐ δυνάμενον. Μάλχῳ δὲ αἰτοῦντι τι τοιοῦτον, ὃ πρὸ τῶν ὀφθαλμῶν ποιησάμενος, οὐκ ἂν ἐθεῖατο τοὺς θεωμένους αὐτὸν, ὃ δώσων οὐκ ἦν. πολλοὶ μὲν ἂν δόντες ἠδέως, φάβῳ δὲ τῶν ὀρωμένων εἰργόμενοι. ὁ δ' αὐτὸς φόβος καὶ τῆς ἀκριβοῦς θεραπείας ἀπεστέρησε Μάλχον, ἰατρῶν, τῶν μὲν οὐ προσιόντων, τῶν δ' οὐ πᾶσι, οἷς ἐνῆν, χρωμένων, εἰδόντων ὡς ἤδιστ' ἂν ἀκούσαι τεθνεῶτα τὸν Μάλχον, καὶ τοῦτ' ὡς εἰκότως

esse, ne postea sub alio Judice pristinus possessor ea repeteret, eoque factum, ut Judices omnia tentarent, priusquam Curialium bona sub hasta vendi juberent. Potuere quidem Judices post administrationem depositam repetundarum accusari; verum accusatoribus, etsi superiores discesserant, praeter inanem victoriam parum inde utilitatis fuit; plerumque enim Judices repetundarum convicti hanc solam facinorum suorum poenam subibant, ut dignitate sua ad tempus exuerentur<sup>1)</sup>. Aliud etiam, sed non firmiter praesidium fuit Curialibus in *Defensoribus Civitatum*<sup>2)</sup>. Hi magistratus quinquennales, non e Decurionibus sed ex Honoratorum numero electi, praeter alia multa id quoque curare debebant, ne Curiales et possessores a Judicibus eorumque Officio concuterentur ac vexarentur. Apud eos Curialibus licebat injurias acceptas contestari; Defensorum autem erat Judicium *procacitati, salva tamen reverentia pudoris*<sup>3)</sup>, occurrere, vel etiam *ad Principem referre*. Sed impares fuere Defensores Judicium nimiae potestati, adeo ut eorum dignitas mature in contemtionem et vexantium et vexatorum venerit<sup>4)</sup>. Postremo quod vulgo fieri solet, ut vexati alios vicissim vexent, id

ἐπεπεικασαν αὐτοὺς, αὐτὸς ἐμαρτύρησεν ὁ πρὸς τὸν περὶ τῆς τελευτῆς γενόμενον λόγον οὕτω διατεθεὶς, ὡς καὶ σικριτῶν ὁρᾶσθαι. — — ἀδικοῦντα γὰρ, φησι, Μάχων ἔλαβον περὶ τὸ βασιλέως χρυσίον. οἶδα, ὡς ἐπλημμέλησέ τι τοιοῦτον ὑπ' ἀνδρῶν πανούργων ἐξαπατηθεὶς ἑλπίσι γλυκείαις τε καὶ δειναῖς ἄνθρωπον λαβεῖν. — πληγῶν δ' οὐκ ἦν καιρὸς, καὶ τοιούτων καὶ τοσοῦτων, οὐδ' ἐν γυμνῷ τῷ σώματι, οὐδ' ἐν στρεφομένῳ, τοῦ μηδὲν μέρος εἶναι πληγῶν καθαρόν. Adde Libanii Ep. 122, 1053, ed. Wolf. Amst. 1738. Cassiodorus Var. V. 3. in Formula Praefecti Praetorio inter ejus privilegia hoc quoque refert: Curiales etiam verberat, qui appellati sunt legibus Minor Senatus. — Ita quod antea tot legibus damnatum fuerat, frequenti abusu in legitimam abiit consuetudinem.

- 1) Cf. Jac. Gothofr. comm. ad tit. C. Th. ad legem Juliam repetundarum et ad L. 1. C. Th. de crimine peculatus.
- 2) Cf. Jac. Oothofr. Paratitlon ad tit. C. Th. de Defensoribus. Adde L. un. C. Th. si quacunque praedit. potest. nupt. petat. invitae. Nov. Majoriani V. de Def. civ. App. C. Th. p. 153.
- 3) L. 4. C. Just. de Defensorib. civitatum.
- 4) Nov. Justiniani XV. — Nunc autem hoc Defensorum nomen valde conculcatum est in multis nostrae reipublicae partibus: et ita contemtum, ut in injuria quidem potius, quam in qualibet jaceat honestate: si quidem fiunt viri quidem obscuro, decreta vero super eis misericordia magis, quam electione conficiuntur. Quibus enim non est victus et vita sufficiens, isti Defensorum emendicantes ordinationem, ad hanc accedunt curam: et pro alio quodam lusu, Judicium subjacent voluntatibus etc.

neque a Principalibus, Exactoribus praesertim, alienum fuisse certum est. Ab his enim una cum Tabulariis et Censualibus pauperiores Curiales saepe concussos esse tam in Adscriptione, quam Exactione, et leges et scriptorum aequalium testimonia abunde docent. Inprimis Adscriptiones saepe in opulentiorum commodum factae videntur, ita ut quae illorum oneri detracta fuissent, ea minores possessores ferre cogentur<sup>1)</sup>.

Exactioni succedebat *Susceptio*. *Susceptores* quoque in quibusdam provinciis e Curiarum Principalibus publico *tractatu* habito eligebantur: velut per Aegyptum, per Africam, per Syriam, per Praefecturam Galliarum; in aliis provinciis ex idoneis Honoratis vel Officialibus altiore dignitatis gradum assecutis a Proconsulibus vel provinciarum Praesidibus creabantur. Verum in his quoque provinciis, si idonei facultatibus Officiales deficerent, e Decurionum numero *Susceptores* a Curia nominandi erant<sup>2)</sup>. Quod plerumque evenisse putandum est. Nam per illa tempora in omni reipublicae administratione pro regula juris valebat, *nominationis periculum esse penes nominatores*<sup>3)</sup>; quae regula vim maximam in omnem Curiarum rationem habuit. Itaque si ab Ordine ad pecunias publicas tractandas nominati seu fraude quid, seu negligentia *decoxissent*, Ordo damnum Sacris Largitionibus inde natum resarcire cogebatur, pariterque Proconsules ac Praesides, si *Susceptores* ab ipsis eorumque Officio creati *rationes publicas evertissent*<sup>4)</sup>, damnum restituere debebant, si *Susceptoris* facultates non sufficerent: quod periculum illi enixe evitasse non temere creduntur. *Susceptorum* erant plura genera; nam singulis fere *Speciebus* proprii *susceptores* attributi erant; velut *Susceptores auri, frumenti, vini, laridi, vestium*. Munus eorum pariter atque *Exactorum* annum erat, atque facultates eorum, antequam munus inirent,

<sup>1)</sup> Salvianus de Gubern. Dei V. 7, 8. Symmachi Ep. IX. 10. L. 173. C. Th. de Dec. et L. 186. ib. Legatio Proconsularis provinciae (Africae) per Bubulcum, Spectabilem Virum Comitem, Curiales pro aliis qui in eodem territorio possident, deflevit adstringi, ut quod ab obnoxiiis saepe debetur, devotissimi quique cogantur exsolvere. Quae res pro arbitrio Compulsorum, vel Opinatorum, sive Judicium in eam famam, mali jugitate, pervenit, ut nullus pene Curialis idoneus in Ordine cujusquam urbis valeat inveniri etc. — *Devoti* in Principum edictis et alibi proprie dicuntur ii, qui quod fisco debent, ad tempus persolvunt.

<sup>2)</sup> Cf. Jac. Gothofr. Paratitlon ad tit. C. Th. de susceptoribus.

<sup>3)</sup> L. 2. §. 7. D. de administrat. rer. ad civitates pert. L. 18, 2. C. Just. de periculo nominatorum.

<sup>4)</sup> L. 1. C. Th. de Susceptoribus.



periculi gratia diligenter describebantur. Eorum erat tributa a Collatoribus provincialibus illata *suscipere*, hisque pro illatis solidis vel speciebus *Securitates*<sup>1)</sup>, hoc est apochas, dare, quas Collatores deinde Tabulariis monstrabant, ut hi in libris debitorum, quantum quisque solvisset, perscriberent. Aurum illatum ad Scrinia Sacrarum Largitionum, species partim ad horrea publica suo periculo Susceptores transferendas curabant, partim ipsi erogabant, quorum omnium post administrationem depositam ex accepti expensi libris rationes referendae erant ad Rationalem Sacrarum Largitionum. Solidi aurei a possessoribus collati, non numerati, sed in *obryzam*, hoc est in unam

<sup>1)</sup> In Provincias extra ordinem subinde mittebantur *Discussores*, quaesituri, quid tributorum nomine esset exactum et quid in *reliquis* resideret. Iidem nonnunquam *quaesitores* dicuntur, quia debitores ad solvenda reliqua tormentorum vi solebant adigere. De his Discussoribus operae pretium est audire ipsius Imperatoris, Valentiniani III, querimonias. Nov. D. Valentiniani VII. in App. C. Th. p. 115: Discussores ad provincias non electi, sicut comperimus, sed ambientes ire dicuntur, quod nobis et proceribus nostris aliarum sollicitudinum mole constrictis, efficere inveniuntur otiosi. Hoc modo facultates possessorum miserabiliter concenterunt. Et hinc majus incommodum, unde remedia certa debuere provenire. Ubi trepidam provinciam talis Discussor adierit, stipatus calumniarum ministris, superbit elatus inter obsequia sumptuosa, expetit adminicula provincialis Officii, scholares etiam saepe conjungit, multiplicato et hominum numero et officiorum, ut quantum avaritiae libuerit, terror extorqueat. Primam sunt venientis exordia, ut proferat et revolvat super diversis numerosisque titulis terribiles jussiones, praetendat minutarum supputationum caligines inexplicabili obscuritate confusas: quae inter homines versutiarum nescios hoc amplius agunt, quo minus intelligi possunt. *Securitates* expetunt annorum serie et vetustate consumtas, quas servare nescit simplicitas et fiducia nihil debentis. Revera enim aut quoquomodo pereunt, quasi justa contingit occasio depraedandi, aut si exstant, redimendum est, ut ferantur accepto. Ita fit, ut apud improbum rei arbitrum merito noceat chartula, cum perit, nihil proficiat, non perisse. Innumerae deinde clades, saeva custodia, suspendiorum crudelitas, et universa tormenta, quae interea laetus et crudelitatis pertinax egregius *quaesitor* exspectat. Collega furtorum Palatinus hortatur, instat Apparitio turbulenta, urget immitis executio militaris. Indignum facinus, haec de civibus velut inter hostes pecuniae placitis, non allegationum justitia, non miseratione finiri. Tanta vexatio cum nihil unquam fisci utilitatibus prosit, tamen non desinit iterari, quasi aliquid efficaciter gestum, vix dum uno e provincia decedente, cum novis auctoritatibus alter excurrit. Si utilis publico esse non potuit, qui ante perrexit, superfluum est, ire alterum, aequae provincialibus obfuturum. Hunc nos fomitem perniciosi ardoris extinguimus, nec patimur ulterius ad exhaustorum interitum deservire. Nobis perit deterior possessor effectus, nobis proficit non gravatus. Venduntur induciae iis, qui non possunt esse solvendo, cum dilationis redemptio publicam magis attenuet functionem etc.

massam igne probe coctam conflati ad Scrinia transmittendi erant, Susceptoribusque una auri libra, quae erat duodecim unciarum, pro septuaginta duobus solidis accepto ferebatur. Hac una ratione Imperatores furtis et fraudibus Susceptorum, Prosecutorum, Largitionum adulterinos solidos subrogantium occurri posse crediderunt. Susceptio et transmissio specierum et auri coctio cum sine detrimento fieri vix posset, *Epimetra* quaedam statuta erant, Susceptoribus ultra praescriptum auri et specierum pondus aut mensuram a Collatoribus offerenda. Atque in his epimetris exigendis Susceptores saepe modum excessere, falsisque passim ponderibus ac mensuris usi sunt<sup>1)</sup>.

Rerum urbanarum seu municipalium *Curam* gerebant *Curatores civitatum*<sup>2)</sup>. Erant quidem in majoribus urbibus et Duumviri, de quibus infra dicitur, dignitate et potestate primi, sed hi nomine magis quam re, quum gravissimis reipublicae administrandae partibus plerumque alii praecessent. Itaque inter Curiales rempublicam revera administrantes primus debetur locus Curatoribus civitatum. Creabantur e Principalium numero et Imperatorum auctoritate per *Codicillos* confirmabantur<sup>3)</sup>, unde intelligitur quanti Curatoris *honor* aestimatus fuerit. Verum Curatorum munus non ubique idem fuit: in aliis enim urbibus vel oppidis pro locorum necessitate et consuetudine major, in aliis minor negotiorum numerus iis inunctus fuit. Nos quae in Imperatorum edictis et alibi de Civitatum Curatoribus scripta reperiuntur, tanquam in unam tabulam colligemus, enumeraturi postea eas partes, quae alicubi proprios habebant administratores. Curatores igitur pecuniam civitatum tractabant, quod negotium praecipuum omnium civitatum Curatoribus commune fuit, eam in praediis maxime rusticorum occupabant, praedia publica et vectigalia locabant<sup>4)</sup> atque usuras civitati debitas exigebant<sup>5)</sup>, quae omnia negotia Curatores non sine magno rerum suarum periculo

<sup>1)</sup> L. 3. C. Th. de superexactionib.

<sup>2)</sup> Vocantur et *Procuratores*, nonnunquam et *Patres* civitatum vel reipublicae.

<sup>3)</sup> L. 20. C. Th. de Dec. Fiebat hoc more majorum. Cf. Orelli Coll. Inscr. lat. 3898, 3899, 3902, 4006, 4007.

<sup>4)</sup> Horum conductione Curialibus interdictum erat. L. 97. C. Th. de Dec. L. 6. §. 2. D. de Decur. L. 4. ib. Publica omnino conducere non poterant. L. 2. §. 1. D. de administrat. rer. ad civit. pertin. et L. 2. C. Th. de locatione fund. jur. emphyteutici.

<sup>5)</sup> L. 33. D. de usuris.

gerebant<sup>1)</sup>. Ipsis autem, dum munere fungebantur, fundos comparare non licebat. Iidem aquaeductus et alia aedificia publica sarta tecta conservabant atque in universum omnia opera publica ad municipium pertinentia et ex civitatis redditibus exstruenda summo loco<sup>2)</sup> curabant eorumque *discussores* erant; item curabant, ut dirutae domus a dominis reficerentur, ut urbs munda esset, ne merces iniquo pretio venderentur<sup>3)</sup>. Alia Curatoribus cum Duumviris et Defensoribus supra memoratis erant communia, ita ut his absentibus aut negotia detrectantibus, in eorum locum succederent. Neque in omnibus municipiis Duumviri fuere et Defensores; tum Curatores et Principales pro sua quique potestate eorum partes suscipiebant. Jus dicebant in minoribus causis et in rebus ad civitatis commoda pertinentibus, ita tamen ut neque multae indicendae neque omnino puniendi facultas esset; iisdem rei aliunde adducti vel in ipso crimine deprehensi tradebantur, quos deinde ad Judicem perducendos curabant, nisi hic in eadem urbe habitaret<sup>4)</sup>; per eos injuriae Ecclesiis<sup>5)</sup> et Ecclesiasticis factae ad Judicem deferrebantur; suscipiebant etiam querimonias provincialium, quibus justa denegari<sup>6)</sup>, injusta injungi viderentur, earumque contestationum apud eos *acta conficiebantur*, Causas etiam civitatum apud Judicem seu Praesidem, vel apud Principem agebant, nisi adessent *Syndici*<sup>7)</sup> ad hoc constituti a Curiis atque e Principalibus electi, inter quos haud raro unus atque alter *Advocatorum corpori* adscriptus erat. Ceterum Curatores quoque civitatum a Provinciarum Praesidibus seu Judicibus permulta iniqua perpeccos esse certum est. Administrationis enim suae rationes Judicibus reddebant, qui et *discussionem* sibi aliquam operum ab iis extractorum et pecuniae publicae erogatae arrogabant, non quod ea discussio necessaria esset, sed ut suam cupiditatem *unam siliquam*<sup>8)</sup> *ex singulis*

1) L. 9. §. 9. D. de administr. rer. ad c. p.

2) Ab his alii opera publica exstruenda redimebant, *Curatores operis publici* ad tempus creati. Erant hi plerumque ex iis, qui vulgo *mechanici* nominabantur.

3) Cassiod. Var. VII. 12.

4) L. 5. C. Th. de exhibendis reis.

5) L. 31. C. Th. de Episcopis.

6) L. 3. C. Th. de superexactionibus.

7) L. 13. D. de munerib.

8) *Siliqua* est vicesima quarta pars Solidi.

*solidis erogatis sibi vindicando*<sup>1)</sup> explerent. Tamen hoc lucro, ut nimis modico, raro contenti fuere, neque discussionem tantum operum a Curatoribus exstructorum, sed ipsam plerumque exstructionem sibi sumserunt<sup>2)</sup>. Quid enim? Res erat ut nulla alia quaestuosa, adificatio: Judicialis dignitas, frigente lege Julia de ambitu, satis magno pretio emta erat, quae pecunia furtis ex provincia redigenda erat intra unius anni spatium. Atqui paratus erat fons, unde Judex hauriret, *arca* metropoleos: tertia redituum ejusque urbis portio operibus publicis attributa erat<sup>3)</sup>; novum igitur opus inchoatur, quam fieri potest sumtuosum: si tertia portio metropoleos non sufficit, aliae ejusdem provinciae urbes suam adicere coguntur: praeterea aedificia vetera ornamentis suis spoliantur<sup>4)</sup>: nam hinc quoque lucelli antiquantulum redundat. Ita Judices locatione operis publici et furtis Praesidatus pretium cum usuris satis amplis redegerunt. Vetera autem instaurare<sup>5)</sup>, opera a decessoribus inchoata consummare<sup>6)</sup>, quum parum videretur fructuosum, a Judicibus summopere vitatum est.

